



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid sit accidens vt sic.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

recipere contraria, nam quantitas recipit immediate in se albedinem & nigredinem, calorem & frigus, vt tenent communiter authores, & potest colligi ex quantitate Eucharistica, quæ est subiectum caloris & frigoris aduenientium speciebus Eucharisticis. Secundò potest aliquid esse susceptiuum contrariorum per modum subiecti vltimati, quod ita substat contrariis, vt ipsum sit ineptum subiectari in alio: & in hoc sensu certum est, nihil posse esse susceptiuum contrariorum quod non sit substantia: quamuis enim quantitas Eucharistica suscipiat contraria, & non subiectetur ipsamet in alio subiecto, tamen apta nata est sic subiectari, & per miraculum tantum sit, quod non subiectetur in alio. Esse ergo susceptiuum contrariorum, in hoc sensu debet intelligi, vt sit proprietas quarto modo substantiæ finitæ.

30. Pro complemento huius disputationis proponere placuit seriem prædicamenti substantiæ, seu arborem, quam vocant prædicamentalem, non quidem integram, quia hoc esset valde prolixum & difficile propter multipliciter & varietatem substantiarum, sed partem aliquam eius, in qua deducitur genus generalissimum ad indiuidua humana. In hac autem serie, quod supremum obtinet locum, est generalissimum; quod infimum, indiuidua; quod supra indiuidua immediate, species prædicabilis; reliqua intermedia supra se directe posita, species subalternæ, & genera subalterna, genera quidem vt respiciunt inferiora, species verò, vt superiora. Quæ ponuntur denique à latere sunt differentiæ diuinae superioris, & constitutiua inferioris.

Series incompleta Prædicamenti substantiæ.

SUBSTANTIA.		
Corporeitas.	CORPVS.	Incorporeitas.
Corruptibilitas.	CORRUPTIBILE.	Incorruptibilitas.
Mixtura.	MIXTVM.	Simplicitas.
Vita.	VIVENS.	Inanimitas.
Sensitiuitas.	ANIMAL.	Insensitiuitas.
Rationalitas.	HOMO.	Irrationalitas.
Petreitas.	PETRVS.	Pauleitas.

Aduertendum, has differentias positas à latere dextro, v. g. corporeitatem, corruptibilitatem, &c. esse diuinas superiorum graduum & constitutiua inferiorum: alias vero differentias alterius lateris, vt incorporeitatem, incorruptibilitatem, esse quidem diuinas graduum superiorum, & constitutiua etiam graduum inferiorum, non tamen eorum, qui hic ponuntur, sed aliorum: incorporeitas enim constituit non corpus, nec aliquod contentum infra corpus, sed substantiam spiritualem, verbi gratia Angelicam.

Aduertendum vltius, quod ponatur hic gradus corporis corruptibilis, ex suppositione sententiæ quæ asserit aliqua corpora incorruptibilia, siue dari de facto, siue posse dari. Quæ sententiæ si non esset vera, non esset necesse ponere illum gradum tanquam superiorem ad corpus mixtum, aut simplex.

DISPUTATIO XIII. DE ACCIDENTE VT SIC.

QVANDO QUIDEM accidens vt sic, sit commune, vel vniuoce, vt tenent Scotistæ, vel analogice, vt tenent Thomistæ, nouem sequentibus prædicamentis, antequam ad illorum prædicamentorum considerationem in particulari descendere, aliqua de Accidente in communi proponere volui,

quæ etiam ad perfectiorem substantiæ cognitionem deferre poterunt, quia opposita iuxta se posita magis elucescunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit Accidens vt sic.

NON agimus hic de accidente, quinto prædicabili, de cuius natura supra actum est, sed de accidente prædicamentali, quod opponitur substantiæ, & diuiditur vel analogice, vel vniuoce iuxta varias sententias (de quibus in Metaphysica) in nouem genera accidentium. Aduertendum autem, quod huiusmodi accidens prædicamentale potest capi dupliciter: primò adiectiue prout dicit materialiter rem, quæ inherere potest, & formaliter ipsamet accidentiam, seu inhaerentiam, & sic accidens idem est atque inherens: certum autem est quod ratio formalis accidentis vt sic, sit inhaesio, seu accidentia, seu vniu illa actualis particularis, quam habet res inherens, quando actu inheret, sicut ratio formalis albi est albedo, & dulcis dulcedo. Secundò potest capi ly *accidens* substantiue, prout significat illam rem, quæ potest inherere, siue actu inheret siue non: & de accidenti in hac acceptione modò agimus, quærendo in quonam consistit eius natura, seu ratio formalis.

CONCLUSIO I.

2. *Accidens, vt sic bene describitur esse ens aptum naturam inherere subiecto, seu aptum naturam esse in subiecto inhaesionis.* Hæc est communis, & patet, quia omni & soli conuenit, & sufficienter absque superfluitate declarat naturam accidentis, prout opponitur substantiæ, quam descripsimus supra esse ens ineptum inherere. Dixi autem *aptum naturam inherere*, quia ex mysterio Eucharistiæ patet, accidentia absoluta posse esse absque subiecto inhaesionis; & vltius nulla prius est ratio, ex qua colligi possit tantam esse connexionem illorum accidentium cum substantia, vt nequeant sine illa conservari: quare quamuis non habuissimus experimentum prædicti mysterij, adhuc potuissit teneri illa separabilitas ex illo principio: Quidquid non implicat contradictionem potest fieri diuina virtute. Vnde quando Philosophus definit accidens esse *entis ens*, vel hoc intellexit in sensu aptitudinali iuxta conclusionem, ita vt sensus sit, quod sit ens aptum naturam inherere in alio ente nempe in substantia; vel certe neganda est ipsius sententiæ, & corrigendus error non solù ex mysterio illo fidei, sed etiam ex prædicto principio, & virgendum est ad assignandam rationem, vnde collegit non posse conservari accidens absolutum v. g. albedinem, aut quantitatem absque subiecto inhaesionis de potentia Dei absoluta: quam certe rationem nunquam assignabit.

3. Itaque ad plenam præmissæ descriptionis intelligentiam restat declarare quid sit *esse in subiecto inhaesionis*, quo non intellecto, nec accidentis, nec etiam formæ substantialis natura perfecte capi potest. Dico ergo, *esse in subiecto inhaesionis* non esse idem atque esse in aliquo tanquam pars, quia alias animal esset in homine, & materia in toto physico, & manus in corpore, tanquam in subiecto inhaesionis, & sic substantiis conueniret prædicta definitio; neque est idem ac esse in alio, tanquam in sustentante, seu in aliquo, in quo recipitur, & à quo dependeret in esse & in conservari, quia forma ignis sic est in materia prima ligni, & idem est de cæteris formis substantialibus materialibus, quæ educuntur de potentia subiecti; quæ tamen formæ non dicuntur esse in subiecto inhaesionis, & si dicerentur, essent accidentia, aut certe non valeret prædicta descriptio accidentis vt sic, quæ illis formis conueniret: sed dicuntur esse in alio tanquam in subiecto informationis. Deinde secundum multos Thomistas & Scotistas formæ accidentales supernaturales in substantia, præsertim, quæ sunt habitus, vt sunt tres virtutes Theologicæ Fidei, Spæi, & Charitatis, creantur & non educuntur de potentia subiecti, nec consequenter dependent ab ipso in esse aut conservari, & tamen sunt in subiecto inhaesionis, alias non essent accidentia: ergo esse in alio tanquam in subiecto inhaesionis, non est idem, ac esse in alio tanquam in sustentante, seu tanquam in aliquo, à quo dependeret in esse & conservari.

4. Nec

Accidens prædicamentale dupliciter capi potest

Vera descriptio Accidentis vt sic.

Quid est esse in alio tanquam pars aut tanquam in sustentante.

Non est esse in alio tanquam pars aut tanquam in sustentante.

Nec sic
ordinetur
ad aliam
formam.

4. Nec est ita esse id alio, ut ordinetur ad aliam formam (prout explicat *Auerſa* tom. 1. *Philosophia quæst.* 5.) cum quia actus vitales non videntur ordinari ad alias formas, & tamen sunt accidentia, & non sunt in alio per informationem, sed per inhaſionem; tum quia forma corporalis, quæ in viventibus datur simul cum anima (ut melior sententia tenet alias probanda) ordinatur ad animam, & tamen est in subiecto per informationem, & non per inhaſionem, cum sit forma substantialis non minus quam ipsa anima.

Sed esse in
alio ita ut
non faciat
cum ipſo
vnum per
ſe.

5. Esse ergo in alio tanquam in subiecto informationis, est esse in alio, cum quo facit vnum per se, & esse in alio tanquam in subiecto inhaſionis, est esse in alio, cum quo non fit vnum per se, sed per accidens. Hoc patet quia omnis forma, quæ de facto admittitur esse forma substantialis, est in alio subiecto, cum quo facit vnum per se, & omnis forma, quæ de facto admittitur esse accidentalis, est in alio, cum quo facit vnum per accidens: ergo signum est, quod esse in alio informatiue sit esse in alio, cum quo facit vnum per se, & esse in alio inhaſiue sit esse in alio, cum quo non facit vnum per se, sed per accidens.

Quænam
forma cen
tenda sit
facere vnu
per se cum
ſuo ſubie
cto.

Sed superest iam grauior difficultas, quomodo possit quis discernere quænam forma sit in alio sic, ut faciat cum ipſo vnum per se; nisi enim quis hoc ſciat, non poterit in particulari cognoscere quænam forma sit substantialis, aut accidentalis; imo non poterit cognoscere, an detur illa forma substantialis, aut an detur illa forma accidentalis; poterit enim dubitare, an illa forma, quæ de facto censetur accidentalis, ut calor, albedo, species sensibiles expressæ & impressæ, habitus &c. sint substantiales; & an forma, quæ de facto admittuntur substantiales, v.g. forma corporalis, anima, præsertim non spirituales, sint accidentales.

6. Ad quam difficultatem, quam non nisi leuiter tractatam apud auctores inuenio, Respondendum, illam formam censendam substantialem, & facere vnum per se cum ſuo subiecto, ratione cuius toti conſtato ex illa forma & subiecto conueniunt aut ſaltem connaturaliter conueniunt, nisi poneretur impedimentum extrinsecum, determinatæ qualitates deſeruietes ad conſeruationem iſtius formæ in subiecto illo.

Hoc patet primò, quia non poteſt hæc res melius explicari. Secundo, quia de facto omnis forma, quæ admittitur substantialis, est principium talium formarum hoc modo: & hinc accidit quod ex formis ſenſibilibus de facto deuenimus in cognitionem formarum substantialium, & quod ex formis ſenſibilibus diuerſis colligamus formas ſubſtantiales diuerſas, & naturas diuerſas rerum compositarum: de quo tamen plura videri poſſunt *Phyſicorum diſtinctione de forma ſubſtantiali*.

Ex hac doctrina vterius colligi poteſt, cur formæ accidentales ponantur directe in aliquo prædicamento, formæ vero ſubſtantiales, licet perfectiores, non ponantur: ratio enim eſt, quod formæ accidentales, cum non ſint natæ facere vnum per ſe phyſicum cum alio, ſint entia completa phyſice, & propterea poſſint poni directe in aliquo prædicamento; formæ vero ſubſtantiales, cum ſint natæ facere vnum per ſe phyſicum cum ſuo ſubiecto, non ſint entia completa phyſice, & propterea nequeant poni directe in aliquo prædicamento, cuius ſummum genus ſit quid completum phyſice.

CONCLUSIO II.

Inhaſientia
aptitudinalis
non eſt
de eſſentia
accidentis.

7. Inhaſientia aptitudinalis, ſeu aptitudo ad inhaſendum non eſt de eſſentia accidentis ut ſic, quod eſt commune nomen prædicamenti; ſed ad ſummum proprietatis eius: radix vero, ad quam ſequitur illa aptitudo, eſt de eſſentia ipſius, quæ radix poteſt vocari aleitas, ſeu inhaſientia fundamentalis, ſeu aptitudo fundamentalis inhaſendi. Hæc eſt Doct. 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. & 7. Met. quæſt. 1. cum *Soncina* ibidem, & omnibus *Scotiſtis* contra *D. Thom.* 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 1. quem præter ſuos ſequuntur *Suarez* diſp. 31. Met. ſect. 2. *complutenſes* diſp. 11. *Logica* dub. 3. & alij.

Probari poteſt concluſionis prima pars ratione, quæ vtuntur *Antonius Andreas* & *Soneſinas*, quia accidens abſolutum poteſt concipi ſine inhaſientia aptitudinali: Mathematicus enim agit de quantitate, non conſiderando, quod ſit, vel poſſit eſſe in ſubiecto; ergo aptitudo ad inhaſendum non eſt de eſſentia accidentis abſoluti, & conſequenter nō eſt de eſſentia accidentis, ut ſic, quia quid eſt de eſſentia accidentis ut ſic, eſt de eſſentia omnis contenti ſub ipſo.

8. Hæc probatio non ſufficit primò, quia falſum eſt poſſe accidens abſolutum ut ſic, commune omni accidenti abſoluti, concipi abſque eo, quod concipiatur ut aptum inhaſere ſaltem conceptui aliquo ſibi proprio, quatenus diſtinguitur ab omni ſubſtantia. Deinde licet poſſet ſic concipi accidens abſolutum, tamen non poſſet ſic concipi accidens ut ſic commune abſoluti, & reſpectui, de quo hic poſſimus agimus. Deinde licet poſſet aliquid inadæquate concipi abſque aliqua ratione formali particulari, tamen non ſequitur quin illa ratio particularis eſſet de eſſentia eius, quia poteſt homo concipi per modum ſubſtantia corporeæ rationalis, ſine eo quod concipiatur per modum ſubſtantia ſimplicis & elementaris aut in xre, cum tamen alterutra ratio ſit de eſſentia eius, & ſic poteſt concipi ſine eo, quod concipiatur per modum corruptibilis aut incorruptibilis; imo poteſt concipi per modum corporei, aut etiam compositi ex matetia & forma, aut corpore & anima: & tamen eſſe corporeum, & eſſe compositum, & eſſe corruptibile eſt de eſſentia eius ſaltem radicaliter loquendo; ergo quauis quantitas poſſit concipi abſque eo, quod concipiatur ut apta inhaſere, adhuc aptitudo ad inhaſendum poſſet eſſe de eſſentia eius.

9. Confirmatur primò, quia ille conceptus, quem habet Mathematicus de quantitate, non eſt conceptus accidentis formaliter; vnde Mathematicus ex illo conceptu nequit deducere quod quantitas ſit accidens, necne: ergo illud exemplum non iuuat ad oftendendum quod accidens, ut accidens poſſet concipi abſque tali ordine, & ſic non facit ad rem.

Confirmatur ſecundo, quia radix illius aptitudinis ſine dubio eſt de eſſentia accidentis abſoluti, ſicut radix inaptitudinis eſt de eſſentia ſubſtantia: & tamen Mathematicus concipit quantitatem non concipiendo illam radicem: ergo quod Mathematicus conſideret quantitatem abſque illa aptitudine, non oftendit illam aptitudinem non eſſe de eſſentia quantitatis, ſicut non ſequitur illam radicem non eſſe de eſſentia eius ex eo, quod concipiatur à Mathematico abſque tali radice.

10. Probat ſecundo aliqui *Scotiſte* eandem partem concluſionis, quia nulla eſt dependentia ſimpliciter neceſſario in aliquo, niſi vel ad primam cauſam, vel ad ſuas partes eſſentiales, ſed ſubiectum accidentis, cui aptum eſt inhaſere, neque eſt de eſſentia eius, neque prima cauſa: ergo dependentia accidentis ad ſubiectum, etiam aptitudinalis, non eſt ſimpliciter in ipſo neceſſaria, & conſequenter non eſt de eſſentia eius.

Hæc etiam probatio mihi non ſufficit, quia certum eſt in principis *Scoti*, illam aptitudinalem dependentiam eſſe ad minus proprietatem accidentis tam neceſſario ipſi connexam, ut nec de potentia abſoluta poſſit eſſe accidens abſque illa: ergo eſt ſimpliciter ipſi neceſſaria, & conſequenter aliqua dependentia eſt alicui ſimpliciter neceſſaria ad aliquid, quod neque eſt prima cauſa eius, neque de eſſentia ipſius; imo dependentia aptitudinalis inhaſionis radicaliter accepta eſt de eſſentia accidentis, ut dicitur in ſecunda parte concluſionis. Neque *Scotus* vnquam dixit dependentiam vllam abſoluti ad aliquid, quod non eſt de eſſentia eius, nec prima cauſa, eſſe ipſi ſimpliciter neceſſariam, ſed hoc tantum dixit de dependentia actuali; putat enim & merito, omne abſolutum poſſe conſeruari abſque eo, quod actualiter dependeat ab vilo alio, quod non ſit prima cauſa, vel de eſſentia eius, vel conditio applicans partes eſſentiales eius: quod non facit ad propoſitum.

Probat tertio & multo melius concluſionem ratione ipſiusmet *Scoti* ſupra, quia nullus reſpectus poteſt eſſe eſſentia abſoluti: ſed illa aptitudo inhaſendi eſt reſpectus; ergo

ergo nequit esse de essentia entis absoluti ut sic, & consequenter nequit esse de essentia accidentis, ut sic, communis absoluti & respectui. Probatum maius, quia non videtur quomodo possit formalitas respectiva concurrere ad faciendum aliquod unum absolutum.

Confirmatur, quia si includeretur in essentia alicuius rei formalitas respectiva, non deberet dici res illa potius absoluta quam respectiva, & propterea res illa esset simpliciter absoluta essentialiter, & simpliciter respectiva essentialiter.

Dices cum Caietano, aptitudinem illam inherendi non esse respectum formaliter secundum esse, sed secundum dici.

Contra, quia sic conveniret cum radice, ad quam sequitur aptitudo formalis, quam nos concedimus esse de essentia accidentis ut sic. Denique nos loquimur de aptitudine, quæ est formaliter respectus vel prædicamentalis, vel transcendentalis: & non secundum dici tantum, sed secundum esse vere & proprie.

12. *Probatum quarto*, quia omnis aptitudo formalis, quæ est in re, præsupponit aliquam formalitatem positivam, ratione cuius comperit illi rei; sicut risibilitas præsupponit in homine rationalitatem: ergo non est de essentia illius rei, sicut nec risibilitas est de essentia hominis.

Secunda & tertia pars conclusionis patet ex his, quia si illa aptitudo formalis ad inherendum non sit de essentia accidentis, ut sic (modo datur illo modo in accidente) debet esse proprietas eius identificata ipsi realiter, sicut risibilitas identificatur homini, & est eius proprietas; & deinde nihil aliud potest assignari quod sit ratio constitutiva ipsius præter formalitatem illam positivam, ad quam sequitur illa aptitudo. Quod totum confirmatur per dicta de substantiæ natura disputatione præcedenti.

An datur in
accidente
aptitudo
formalis ad
inherendum.

Dixi in probatione secundæ & tertiæ partis: si datur illo modo talis respectus aptitudinalis; quia valde dubitari potest an datur talis respectus qui vere sit respectus formalis, & non sit tantum respectus secundum dici, quomodo ipsamet ratio absoluta constitutiva accidentis potest vocari respectus. Ratio autem dubitandi est, quia videtur omnino superfluum; nam Accidentis per suam essentiam & constitutiva sua essentialia præstare potest quidquid debet ipsi competere.

Dices hoc esse verum fundamentaliter, non formaliter.

Contra, quia gratis dicitur, quod id non possit præstare formaliter, si potest illud præstare illo modo.

Dices non posse hoc ab ipso per essentiam præstari formaliter, quia illud, per quod formaliter id præstari potest, debet esse respectus, respectus autem non potest esse de essentia entis absoluti. *Contra*, quia gratis dicitur quod id formaliter præstari non possit nisi per respectum, qui sit vere respectus alio modo quam secundum dici, quamvis autem præstari deberet a respectu secundum dici, posset sine dubio præstari a differentia formali & essentiali sua, quia illa potest vocari respectus secundum dici.

Dices: non dantur respectus secundum dici, sed quidquid nequit intelligi nisi per modum respectus, debet dici esse respectus: unde cum aptitudo, quæ habet accidentis ad inherendum, non possit intelligi nisi per modum respectus, debet dici, quod sit respectus verus, & non tantum secundum dici. *Contra*, quia ipsamet differentia essentialis accidentis, quam vocant radicem illius aptitudinis formalis, nequit intelligi per modum respectus, hoc est per modum alicuius quod aptum sit principiare illam aptitudinem formalem, & tamen hoc non obstante non est respectus secundum eos, qui asserunt aptitudinem illam formalem distinctam: ergo aliquid quod non est vere respectus potest tamen esse talis natura, ut non possit intelligi nisi per modum respectus. Hæc sane mihi semper reddidit difficilem illam sententiam, quæ asserit huiusmodi respectus formales in substantia & accidente, & nisi sit aliqua alia particularis ratio ad probandum, quod dantur illi respectus aptitudinales formaliter distincti a suis fundamentis, viderentur mihi omnes omnino exclu-

dendi. Si qui tamen concedendi sunt, non nisi illi, quorum conceptus non involuitur in conceptu essentiali sui fundamenti, ut verbi gratia risibilitas, seu aptitudo ad ridendum, quæ potest dici non esse formaliter differentia constitutiva hominis; quia potest homo intelligi secundum prædicata essentialia sine eo, quod intelligatur nec radicaliter, nec formaliter esse risibilis. Quod etiam totum propono magis examinandum, quam absolute tenendum.

13. *Fundamenta adversariorum*, contra conclusionem sunt, quod accidentis esse dicatur consistere in inesse; quod non sit ens simpliciter, sed entis ens; quod non possit intelligi sine illa aptitudine, & denique quod illa aptitudo, seu inherencia aptitudinalis, si non esset de essentia ipsius, deberet esse ipsi accidens, & consequenter deberet inherere per aliam inherentiam, & sic daretur processus in infinitum.

Fundamenta
adversariorum.

Respondetur facile, accidentium esse dici consistere in inesse, id est inherencia non actuali, nec aptitudinali, sed radicali, & in hoc ipso sensu dicuntur esse entis entia. Adverte tamen, quod hoc non obstante sint entia simpliciter, quamvis hoc parum faciat ad propositum hoc. Deinde quamvis nequeant intelligi sine tali respectu, non inde sequitur illum respectum esse de essentia eorum; quia, ut supra dictum est, multa nequeunt intelligi sine aliis, quæ tamen non sint de ipsorum essentia. Denique quamvis inherencia aptitudinalis non sit de essentia accidentis, tamen non est accidens prædicamentale ipsius, sicut nec risibilitas est accidens hominis, sed proprietas eius; & quamvis etiam esset accidens prædicamentale ipsius, non sequeretur necessario processus in infinitum, quia illa inherencia posset se ipsa ipsi inherere sine alia inherencia, & sic dicitur communiter quod accidentia respectiva seipsius inhercant sine alia inherencia realiter distincta, licet id non dicatur de accidentibus absolutis.

CONCLUSIO III.

14. *Quando conservatur accidens absolutum extra subiectum, & habet esse per se, seu non esse actum in alio, tanquam in subiecto inherens, non superadditur ipsi modus aliquis positivus absolutus distinctus realiter ab ipso.* Hæc est Doctoris 4. d. 12. q. 1. cum suis omnibus contra Thomistas; & Probatum hic breviter, quia eo ipso, quo Deus destrueret inherentiam actualem albedinis v.g. aut quantitatis ad substantiam, & conservaret ipsamet entitatem absolutam albedinis aut quantitatis, illa albedo aut quantitas essent per se absque subiecto: ergo ut sic sint, non indigent aliquo modo positivo absoluto.

Accidens
separatum
non habet
modum po-
sitivum su-
peradditum.

Confirmatur: non sunt multiplicanda entia sine necessitate: si nulla prius est necessitas vilius modi positivi superadditi accidentibus separatis: ergo non est asserendus talis modus.

15. *Dices*: accidens non habet existentiam propriam, & præterea individuat per substantiam; ergo non potest poni absque substantia, vel modo substantiali.

Respondetur negando antecedens pro utraque parte: & sane evidens videtur quod quicumque modus substantialis, seu accidentis potius debeat dici non habere existentiam propriam, & quod potius debeat dici individuari a substantia, cuius est modus, quam accidens absolutum: ergo si ille modus potest poni absque substantia aut alio aliquo, à quo haberet formaliter existentiam, aut individuationem, a fortiori, vel saltem (quod sufficit ad intentum) æque idem poterit dici de accidente. Plura alia possent ad hoc argumenta adduci, sed hæc sufficiunt abunde ad rei clarissimam probationem.

Dices: quando ponitur accidens extra subiectum, habet dependentiam particularem ab aliquo, à quo non habuit illam antecedenter, nimirum ab eo, à quo ponitur extra subiectum, & à qua suppletur influxus subiecti: sed illa dependentia actualis p. sua est aliquid positivum se tenens ex parte accidentis, & potest vocari modus positivus satis commode: ergo non potest accidens extra subiectum poni absque tali modo.

Respon

Respondeo concedendo totum, sed non est contra conclusionem, quæ non negat, nisi modum absolutum; illa autem dependentia esset modus relatiuus.

Respondeo secundò distinguendo consequens: absque modo quo recipere suum esse à causa efficiente formaliter, concedo, absque alio modo, nego; loquimur autem in conclusione de alio modo, non de illo.

CONCLUSIO IV.

16. *Esse actum in subiecto inhærentis est de essentia accidentis relatiui predicamentalis.* Hæc videtur mihi *Scoti* supra, & est communior inter *Scotistas*.

*Probat*ur, quia implicat contradictionem, relationem predicamentalem siue intrinsecus, siue extrinsecus aduenientem posse esse absque eo, quod in sit subiecto, illud determinando ac referendo ad terminum; & præterea nihil impedit quo minus illa inhærentia actualis, seu potius formalitas, à qua habet inhærentia actualiter, sit de essentia eius.

Confirmatur, quia formalitas, à qua habet relatio respicere terminum, est de eius essentia: ergo & formalitas à qua habet respicere fundamentum; tam enim essentialiter est relationi determinare fundamentum actu, quam actu referre ad terminum. Itaque in relatione ut sic sunt considerabiles duæ formalitates: prima est formalitas accidentis ut sic, & ab hac non habet esse actu in subiecto, neque etiam non esse, potius loquendo; sed bene habet aptitudinem fundamentalem, secundam quam exigit esse connaturaliter in subiecto: secunda formalitas in ipso considerabilis est formalitas talis, qua constituitur in esse accidentis relatiui, & ab hac habet formaliter & essentialiter esse in subiecto, & ipsum referre ad terminum, propter fundamenta præmissa.

QVÆSTIO II.

Utrum accidens spirituale possit educi de potentia subiecti corporei, aut accidens corporeum de potentia subiecti spiritualis.

17. *E*duci de potentia subiecti est produci in ipso subiecto cum dependentia ab ipso met subiecto tanquam à causa influente realiter in rem illam, quæ dicitur educi: quod magis intelligitur ex dicendis in *Physica*.

CONCLUSIO I.

Accidens spirituale nequit educi de potentia subiecti corporei naturaliter, aut subiectari in ipso. Hæc est communis.

*Probat*ur primò, quia non est proportio sufficiens inter subiectum corporeum & accidens spirituale, ut hoc possit educi ex potentia illius, & subiectari in ipso: ergo non potest id fieri naturaliter. Hæc probatio non sufficit, quia quamuis antecedens à parte rei sit verum, tamen non est notum ex terminis, sed omnino æque obsecrum, ac conclusio inde deducta; & quicumque negaret conclusionem, negaret illud antecedens: unde vel petitur principium hac probatione, vel obsecrum per æque obsecrum probatur, quod est vitium notabile probationis.

Confirmatur, quia anima rationalis est spiritualis, & tamen habet proportionem sufficientem ut sit in subiecto corporeo: ergo spiritualitas accidentis non impedit quo minus possit esse in subiecto corporeo.

Dices, non esse eandem rationem de accidente spirituali, & anima, quia accidens educitur è potentia subiecti sui, & non creatur in illo; anima vero non educitur ex potentia corporis, sed creatur in ipso; unde quamuis corporeum posset habere proportionem sufficientem ad recipiendam animam spirituales, non tamen deberet habere proportionem sufficientem ad causandum materialiter formam accidentalem spiritualem, & consequenter deberet non habere proportionem sufficientem ad recipiendum accidens spirituale, quod non recipitur naturaliter nisi in subiecto, è cuius potentia educitur, & à quo dependet materialiter.

18. *Contra primò*, quia ex hac disparitate non sequitur quin aliquod accidens, quod naturaliter peteret creari; sicut petit anima, posset poni in subiecto corporeo, quemadmodum ponitur anima; unde ad probandum conclu-

sionem deberet præter dictam probationem ostendi, quod nullum accidens naturaliter producibile perat creati.

Secundò & principaliter contra facit, quod maneat adhuc probandum, nullum corporeum posse habere sufficientem proportionem ad causandum materialiter aliquam formam spiritualem: quod si hoc non probetur, prædicta disparitas nihil facit ad rem, & virgeri potest contra eam hoc modo: Aliquod corporeum potest habere sufficientem proportionem ad recipiendum aliquod spirituale substantiale ex natura sua creabile: ergo aliquod corporeum potest habere proportionem sufficientem ad causandum materialiter aliquam formam spiritualem accidentalem, quæ ex natura sua non est creabilis, sed educibilis ex potentia subiecti; & si negetur consequentia, petenda est disparitas.

19. *Probari solet secundò conclusio*, quia sicut connaturale est omni accidenti corporeo esse extensum, & consequenter habere subiectum extensum, ut dicemus conclusionem sequenti; ita connaturale est omni accidenti spirituali esse inextensum: ergo nequit naturaliter accidens spirituale poni in subiecto corporeo, quia omne corporeum subiectum, in quo poneretur, est extensum.

Confirmatur, quia naturaliter bene colligitur accidens esse corporeum ex eo, quod subiectetur in subiecto corporeo, & esse spirituale ex eo quod subiectetur in subiecto spirituali: ergo spirituale accidens nequit naturaliter esse in subiecto corporeo.

Hæc probatio etiam per se non sufficit, quia posset negari antecedens, & dari pro instantia, quod quemadmodum licet omnis forma substantialis corporea perat subiectum extensum, non tamen omnis forma substantialis spiritualis perat subiectum inextensum, ut patet de anima rationali: ita licet omnis forma accidentalis corporea peteret subiectum extensum, non tamen dicendum esset quod omnis forma accidentalis spiritualis peteret subiectum inextensum.

Ad confirmationem dici posset, nisi alia aliqua ratio afferatur, eam collectionem non esse bonam, aut saltem gratis id admitti; ac dici, & instari potest ut supra, quod quemadmodum non bene colligitur forma substantialis esse corporea ex eo, quod sit in subiecto corporeo, ita etiam non bene colligeretur formam accidentalem non esse spirituales, aut esse corpoream ex eo quod subiectetur in subiecto corporeo.

20. *Probat*ur ergo melius conclusio, quia non potest assignari, quam causam naturalem possit producere formam spiritualem in subiecto corporeo, neque quam formam spiritualis possit naturaliter in tali subiecto produci: ergo non est dicendum, quod id fieri possit naturaliter.

Confirmatur, quia omnis forma accidentalis, quæ habet producta est in subiecto corporeo, quantum ad cognitionem nostram, est corporea: ergo verisimilius dicitur non produci formam ullam spirituales in tali subiecto, quia si posset produci, verisimile est, quod de facto esset producta, & quod cognoscereetur esse producta ab effectu aliquo eius.

Confirmatur secundò, quia si non habuissimus principia aliqua ex quibus colligeremus quod anima rationalis sit spiritualis, diceremus quod esset corporea, quia reperitur in subiecto corporeo: ergo si non habeamus principia ad colligendum quod aliqua forma accidentalis producibilis naturaliter in subiecto corporeo sit spiritualis, debemus dicere quod nulla sic producibilis sit spiritualis; sed non habemus talia principia, ergo.

21. *Probat*ur ulterius, quia nulla forma accidentalis naturaliter producibilis creatur naturaliter: ergo omnis talis producit per educationem ex potentia subiecti, & consequenter cum dependentia à subiecto in esse & fieri. Probatur antecedens, tum quia satis communiter & probabiliter negatur à recentioribus ullam formam accidentalem creari, etiam loquendo de illis quæ sunt supernaturales in substantia (ut sunt tres virtutes habituales Theologicæ) & consequenter multo minus sic producentur accidentia naturalis ordinis; tum quia si crearetur aliqua forma accidentalis

Accidens spirituale nequit subiectari in subiecto corporeo naturaliter.